Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 931

Quelle:
Copyright:



*literam* &c. *Sermo de ſeptem artibus liberalibus moraliter et de quolibet ſancto Doctore.* Init. *Beatus homo quem tu erudieris domine &c. Pſ. Teſte cottidiana experiencia* &c. *Sermo de temptacionum profectibus et defectibus.* Init. *Ductus eſt ihesus in deſertum* &c. *Ad huius verſiculi introductionem intelligendum eſt* &c. *Sermo de penitentia.* Init. *Penitenciam agite appropinquauit enim* &c. *Quia beatus Job. Baptiſta aduocans populum* &c. *Sermo de contricione ſeu in feſto Magdalene.* Init. *Magna eſt velud mare* &c. *Beatus Gregorius ſuper lucam dicit ſic: Cogitanti mihi de marie penitencia* &c. *Tractatus breuis et vtilis de remiſſione peccati per decem conſiderationes.* Hunc quoque ad priora pertinere docet Initium: *Notandum vero, quod in precedentibus habitum eſt de temptacione peccati et poſtea de penitencia et contricione peccati, reſtat nunc uidere breuiter* &c. Omnes hi Sermones ἀδέσποτοι, nulliusque momenti.

XI. *fol.* 158. *Incipit prefacio in tractatum omeliarum ſancti Bernhardi Abbatis de cena domini.* Initium: *Paſcalibus dapibus eſuriens ſaturari quicunque requiris* &c. Initium Sermonis I. *Ante diem feſtum paſce* &c. *Verbum patris filius dei, quod pro ſalute generis humani* &c. Finis ultimi: *Hoc premium uidelicet ſe ipſum nobis concedat chriſtus. qui ſine fine viuit et regnat per omnia ſecula ſeculorum Amen.* Sunt Sermones XV. extantque inter Opera *Bernardi edit. Mabillon. Pariſ.* 1690. T. V. *col.* 597. ſed apud nos aliter diviſi, multumque ab editis variantes, neque *Bernardi*, ſed *Ogerii* ſive *Ogleri* Abbatis *Lucedii* in Comitatu *Montis Ferrati*, Dioeceſ. *Vercellenſis Bernardo* ſubparis, ut ex *Cod. Stafardenſi* primus docuit *Joh. Bona* Card. *Ciſtercienſem* fuiſſe colligit *Mabillonius* ex illo poſt medium *Serm.* X. nobis *fol.* 178. p. 2. *Non enim alba cuculla, non alta tonſura, nec ampla corona. ſed conſcientia pura — monachum facit.* Neque obſtat illud ſub finem *Serm.* XV. quod tamen noſtro a Codice abeſt: *Adhuc te alloquor, Monache Benedicti*, cum et *Ciſtercienſes Benedicti* regulam profiteantur, et *Carolus de Viſch* in *Chronol. Monaſt. Ciſterc.* p. 360. diſerte adfirmet Coenobium *Lucedienſe* a. 1123. fundatum huic Ordini fuiſſe. Locus luculentus *Serm.* XIII. de *illibato B. M. V. conceptu* nobis habetur *fol.* 184. p. 2.

XII. *fol.* 188. *Incipit formula nouitiorum et Capitula.* Itaque horum praecedit Index. Opuſculi nobis in *Capita* XX. diviſi prima verba ſunt: *Si vis in ſpiritu proficere et hic eſſe* &c. Ultima: *nec ullam ei reuerentiam exhiberi.* Autor *Bonaventura*, cujus T. VII. *Lugd.* 1668. f. p. 619. extat ſub titulo: *De Inſtitutione Novitiorum Pars Secunda, Capp.* XIV.

XIII. *fol.* 191. p. 2. *Incipiunt collationes profectuum Religioſorum.* Initium: *Primo conſiderare debes quare veneris, ad quid veneris*